



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 8. Colloquium Granvellani cum Cardinale Lotharingio circa Colinii
causam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI.
A.C. 1558.

Gilepsicus Cambellius Argateliæ Comes, & Jacobus Reginæ frater, qui tamen cum lentius profectioem adornarent, omnia circumspicientes ita suum iter distulerunt, ut interea Maria Angliæ Regina decederet: nihilominus decreta permanfit corona Francisco Reginæ Scotiæ marito, qui de Patris sui consensu postea Rex Delphinus appellatus est.

§. VIII.

Colloquium Granvellani cum Cardinale Lotharingio circa Colinii causam.

Thuan. p.
6ro.

Interea Guisii, quorum potentia indies crescebat, unice intenti erant mediis, quibus præcipuam in Regno auctoritatem sibi vendicarent: nec eorum conatibus ultra obsistebant Montmorantii; ex his enim Connestabilis æque, ac Colinius classis Gallicæ Præfectus in captivitate detinebantur, nec alius supererat, quam Andelotus istius frater, & perditatus Gallici Præfectus; verum & hujus exitium promovendi crebra Guisii sese offerebat occasio, qua etiam opportune uti decernebant. Equidem magna Andeloti erat apud Regem gratia, quam ei ingens illa, qua Rex illius Avunculum prosequabatur, benevolentia,

tia, necnon propria ipsius merita conciliabant, præsertim cum in Caletensi expugnatione, ac Santquintinianensi prælio egregiam Regi operam navasset: verum Andelotus nimio studio erroneis Calvinii opinionibus addictus erat: cum enim in libris evolvendis fedulus, ac novitatum studiosissimus esse videretur, hæc ipsa curiositas, ac frequens cum Germaniæ Protestantibus commercium hunc Virum ad hæresin induxerunt, adeo, ut nemo alius præter ipsum majori ardore, ac pertinacia novam sectam tueretur: Itaque hac ipsa Andeloti perversitate Guisus Cardinalis, ut ejus auctoritatem deprimeret, totamque illius familiam pari fato involveret, utebatur, ipsumque hoc Guisii studium quamplurimis omnino probabatur, eo quod Religionis obtentum præferret, unde & ipsemet Rex sinistram de Andeloto opinionem animo suo imbibere cæperat: Guisus vero, quamvis ad hæc molimina calcar ei addere supervacaneum esset, huic tamen rei aliunde sponte sua unice intentus adhuc magis accendebatur in quodam colloquio, quod Peronnæ cum Perrenotto Granvellano Atrebatensi Episcopo habebat: nam hic Guisium summis precibus urgebat, ut ad firmam pacem inter ambos Reges conciliandam totis viribus

Sæc. XVI.
A.C. 1558.

Sæc. XVI.
A.C. 1558. viribus adlaboraret, eo quod, inquebat ipse, fortasse Turca utpote hostis longinquior, ac proin minus formidandus negligi posset, cum longe periculosior, quem uterque in finu, atque adeo in visceribus foveat, subsit, isque non alius foret, quam pestiferum pravaram de religione opinionum virus, quod inter Principum dissidia per animos hominum serpit, eoque nunc Belgium, & jam pridem major Gallia pars infestatur.

§. IX,

*Granvellani sermo de Andeloto in
Calvini hæresin prolapsa.*

Thu. l. c.
La Popelin. 5

Cum hæc ipsa prima Perrenotti Granvellani verba mire Guisii Cardinalis animum commoverent, ille hæc subjungebat: „non fugit Philippum Regem, „quantos ea res motus, ac suspiciones „excitatura sit, nisi summa fide, ac prudentia dirigatur, nam initia fere dant „formam negotiis: itaque diu hæsit, antequam cuiquam Gallorum suam ea „de re mentem aperiret: verum ambigenti tandem fortuna consilium dedit, „quæ te, ac tuum fratrem Guisium „Gallorum cladibus superesse voluit, ut „essent, qui negotium hoc susciperent, „regi salutare, utpote ad Dei Gloriam „conducens, ac utile regno, quod inter „Reli-